

stantia, et in proposito suo perseuerantia, vt habeat au-
ctoritatem inertia quoque pertinax.^{a)} Idem scriptor in-
geniosissimus iuxta et animi humani callentissimus, non
modo librum singularem reliquit de otio aut secessu sapien-
tis, e quo paucae velut e naufragio extremae tabellae ad
nos emerserunt;^{b)} sed etiam plurimis aliorum librorum
et epistolarum locis, quamquam breuius, idem quod li-
bro illo docuit, philosophum suo in otio esse occupatis-
simum; fere vt *Scipio Africanus* de se profiteri solebat,^{c)}
numquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus esset.

Hoc nimirum inprimis agit *Seneca*, vt ostendat,^{m)}
folios omnium otiosos esse, qui sapientiae vacent. Ceteris
quidem mortalibus negotia, munia, labores omnis gene-
ris, attributa sunt, vt in iis, quid ferre humeri possint, expe-
riantur. Demtis autem illis, nesciunt protinus, cui bono
ingentes illas animi corporisque vires acceperint. Adeo
non generoso impetu ad nobilissima facta audenda ferun-
tur; sed compellendi sunt quodam officiorum, aut com-
modorum velut iugo imposito. Sapiens contra, sibi red-
ditus, et a strepitu quotidianorum munierum otium na-
ctus, plus etiam et suauius peragit, quam definiti aliorum
discursus et sudores. Tum demum non alienis regitur
legibus, sed suis, hoc est, illo alte insito boni verique
amore, cui iam cursum expedire per infinita licet spatia.
Atque haec princeps caussa subest, cur otium et quietem,
vel statae laborum agitationi, quandoque succedere optet,
vel sibi per omnem vitam contingere. Nempe, cum liber
spiritus in omnia diuina humanaque, et sua inprimis, pe-
nitius

B 2

k) Vid. *Senecae* utriusque Opera, Paris. 1613. fol. p. 961 seq.

l) Apud *Ciceronem*, L. III. de Offic. c. 1.

m) *Seneca* de Breuitate Vitae, c. 14.